



Index contentorum.

1. De balsamo Peruviano
2. de prudenti utrumque medicamenti exploratione.
3. de erroribus circa usum topicorum in praxi.
4. de natura & praesentia vini Rhenani
5. de bradypepsia
6. de purgantibus fortioribus ex praxi efficiendis
7. de anatomia publica.
8. de luxationum syntheses in genere.
9. de auditu difficili
10. Ulcerum aetologia & curatio
11. de purgantibus selectis & minus cognitis.
12. de specificis antispasmodicis.
13. de perpetuo pectore ex thorace.
14. Pathologia duummiratur Helmontiani.
15. de morbis lienis
16. de affectu raro scorbutico pustulari.
17. anurum chymasticorum rationalis explicatio.
18. de specificis antispasmodicis.
19. de bile medicina & veneno corporis.
20. de Carolinis thermis.
21. de temporibus anni insalubribus.
22. de temperamento fundamento morbum & morborum,
23. de morbis certis regionibus & populari propriis.
24. crismus natura & explicatio rationalis.
25. de inflammatione ventriculi.
26. de siderum in corpora influxu.
27. de methodo vitam longam acquirendi. Wolffii epistola.
28. medicus sui ipsius.
29. de asthma convulsivo cum hydrope pectoris
30. de anatomis in praxi medica usu. Xc. 33..

34 32
DISPUTATIO INAUGURALIS MEDICA
DE
**MORTE SUBITA
PRÆCAVENDA,**

QUAM
RECTORE MAGNIFICENTISSIMO
SERENISSIMO PRINCIPE AC DOMINO,

DN. PHILIPPO WILHELMO
PRINCIPE, BORUSSIAE, MARCHIONE BRAN-
DENB. CETERA,

PRAESIDE

DN. FRIDERICO HOFFMANNO
CONSILIARIO ET ARCHIATRO REGIO,
MEDICINAE ET PHIL. NAT. P. P. O. h. t.
DECANO,

*Patrono ac Præceptore suo æternum
devenerando,*

PRO SUMMIS IN ARTE SALUTARI HONORIBUS PRIVILEGIISQUE

DOCTORALIBUS CONSEQUENDIS

D. DECEMBR. M DCC VII.
horis ante & pomeridianis

IN AUDITORIO MAJORI

Publico eruditorum iudicio examiniq̄ue exponit

AUCTOR

GEORGIUS HENRICUS *Normann* /
HALBERSTAD.

HALAE MAGDEBURGICAE,
Typis JOANN. GRVNERI, Acad. Typogr.

DISPUTATIO IN HONORARIUM MEDICAE
MORTE SUBITA
PRÆCAVENDA

RECTORIS MAGNIFICENTISSIMO
HONORABILISSIMO

DR. PHILIPPO WILHELMO
PRINCIPIS BORUSSIAE MARCHIONIS BRAN-
DENBURGICIS

DR. FRIDERICCO HORNEMANNO
CONSILIARIO ET ARGUMENTARIO REGIO
MEDICINAE ET PHARMACOLOGICAE

Facultatis de Praescriptis et de Receptis
Medicamentis

PRO SUMMIS IN ARTE SALUTARI HONORIBUS PRIVILEGIISQUE
DOCTORALIBUS CONSTITUTUM

D. - DECEMBER. M. DCC. VII.

IN AUSTRIACIS MARIORUM
Publico eruditionis studio exornatae exponit

GEORGII HENRICI SCHUMANNI
HABERSTAD.

WILHELMUS M. MEDICINICUS
Typ. JOHANN. GRÄFFER, Acad. Typogr.





PRÆFATIO.



Vanquam homini nihil magis optari queat, quam prospera æquabilisque vitæ felicitas, eidem tamen æque gratulandum videtur, si parem vitæ exitum, felicem nempe fortunatumque nanciscitur. Quam *εὐθανασία* quidem subita omnino morte metiebantur prisci gentilium, eamque tanti æstimabant, ut inter præcipua quoq; vota illam connumerarent. Itaq; summos Imperatores ac Philosophos hoc mortis genus avidissime exoptasse accepimus, eoque processisse eosdem, ut quibus ejusmodi mors contigerat, hisce unice gratularentur, improbos vero indignos plane eadem judicarent. Atque hoc dandum quidem paganorum caligini, quippe! qui nondum consecuti salutaris doctrinæ scientiam, merito præsentia in bonis

posuerunt, parum de animæ salute, cuius immortalitatem minus recte intelligebant, sibi prospicientes. At aliter sentiunt & sentire debent, qui Christi nomen profitentur, siquidem salubriori disciplina instituti sciunt, morte mortalitatem nostram, non vitam finire, adeoque votis unice expetendum esse, ut supremam arduamque illam viam cincti paratique subeamus. Cui salutare operi cum nihil infestius sit, cum nihil magis illud remoretur, quam subitum citumque mortis genus, hinc equidem omnibus, quibus futura æque ac præsens salus curæ cordique est, enitendum maxime reor, ut, qua fieri potest providentia solertiaque, contra hoc discrimen corpus tueantur. Videor itaque mihi rem utilem, jucundamque cum omnibus, tum illis imprimis, qui medendi scientiam sibi vindicant, peracturus, quando præsentis disputatione Inaugurali rationem, qua mors subita optime præcaveri, penitus exponam, vires ingenii in hoc campo tentaturus. Deus autem, qui vitam mortemque nostram nutu temperat, a cuius manu omnium spiritus dependet, dicentis laborem præsentis numine ita regat, adjuvetque, ut veritas & publica hominum salus inde augeatur.

I. Ante

I.

ANte vero, quam ipsam rationem præcaven-
 dæ subitæ mortis demonstremus, non alie-
 num imo necessarium videtur, primum
 explicare, quid mors hominis sit, & in quo
 ipsa, proprie consistat. Cui cum e diametro opposita
 sit vita, hinc ejusdem natura non clarius patebit, quam
 ex ipsius vitæ essentia, paucis a nobis proponenda. Ne-
 que negamus quidem, de hujus natura ac ingenio ex-
 ponendo medicos æque ac philosophos maximopere
 inter se dissentire. Plurimi enim ex antiquioribus vi-
 tam in unione animæ cum corpore ponebant, imo a-
 nimam auctorem vitæ pronunciabant quid anima,
 quid vita sit, nunquam recte adsecuti. Nonnul-
 li in conservatione mixtionis sive formæ ac cra-
 seos vitæ rationem quærebant, alii ex elementis,
 qualitatibus & inde propullulantibus quatuor humo-
 ribus vel calido innato, humido radicali, flammula vi-
 tali, aliisque hujus commatis principiis tam mortis
 quam vitæ naturam deduxerunt. Verum enim vero,
 cum hæc mera vocabula & somnia sint, quæ neq; mente
 neque ratione concipi possant, hinc eorundem angu-
 stias medicinæ ac physices latifundia capi ac comprehendere
 non possunt. Rejectis igitur ceteris opinionibus placet
 jam ex ipsius rei fonte & natura vitæ notitiam derivare.
 Jamq; primum satis compertum est, vitam proprie min-
 prædicari de iis corporibus, quæ sunt inorganica, uti lo-
 quuntur, multo minus de solius corporum structuræ &
 mixtionis conservatione, alias enim lapis, quamdiu con-

servatur ejus mixtio & omne metallum imo panis dici possent vita frui. Eadem ratione corpus humanum neutiquam potest dici vivum, quatenus ejus mixtio & structura demum conservatur, quippe quod vel frigore intensiori vel balsamatione corporum per liquida spirituoſa vel ſola earundem exſiccatione fieri poteſt, ſed eaſe- nus ſaltem de corpore noſtro prædicari poteſt vita, qua- tenus operationes, propter quas ſingulari artifi- cio & ordine a natura ipſum conſtructum eſt, in illo vi- gent. Et hæc quidem nihil aliud ſunt, quam motus fluidor- um per corporis tubulos, quorum præſentiam respira- tio, motus ac pulſus cordis & arteriarum teſtantur, un- de etiam hæc actiones medicis vitales audiunt, quoniam vitam ac motum ſanguinis perpetuo comitantur. Licet itaque omnes ſenſus tam interni quam externi extincti fuerint, tamen corpus adhuc vivum exiſtere & judicari poteſt, quando actiones modo dictæ vitales respiratio, motus cordis & arteriarum adhuc obſervantur. Nempe quamdiu hæc præſentes ſunt, tamdiu animal dicitur vive- re, ubi vero eadem expiraverint penitus, ubi ita deſe- ruerint corpus, ut non poſſint revocari, tunc homo di- citur mori. Hinc luce meridiana clarius apparet, ipſam vitam primario conſiſtere in circulari ſanguinis per cor- pus motu, huncq; non tam inſtrumentum quam ipſum vitæ fundamentum dicendum eſſe.

II. Et hancquidem ſententiam nobiſcum adprobant uno ore philoſophi, vitam non potentiam ſed actum di- centes, nullus vero alius actus datur in rebus corporeis quam motus. Porro autem firmiſſimum hujus rei argu- mentum eſſe poteſt ipſa ratio, qua ii, qui jam in limine mortis conſtituti ſunt, a fatali meta revocantur. Tales enim

enim morti proximos in vitam integram restitui per ejusmodi remedia, quæ C. S. rursus excitant ac promouent, quotidianæ observationes probant. Sic Baro de Verulamio meminit hominis per dimidiam horam suspensi, qui tamen solis frictionibus & balneis calidis in vitam fuerit reductus. Neque alia ratio est recepti spiritus, quam quod motus sanguinis intestinus & peristalticus musculorum per remedia hæc excitatus, deficientem jam vitam reddiderit. Pariter Pechlinus notat exemplum mulieris laqueo strangulatæ, cui & respiratio & pulsus jam defecerant, adeo ut spuma in labrum effusa rem pene conclamata significaret, quæ tamen ad inopinatum medici accessum & largiorem spiritus salis ammoniaci infusionem plane revixit, quoniam agilissimo & penetrantissimo hoc spiritu sanguis in motum concitatus fuit. Ita Forestus etiam restituit plures uno simul impetu in aquam collapsos, quos de vita periclitantes, solo decocto ex floribus conservasse constat, siquidem cum sudore, quem inde moverat, & vitam in iis revocavit, inter quos virginem fuisse meminit neque vocis neque mentis compotem amplius, hanc tamen amplexu simul puellæ nudæ, quam in lecto juxta collocaverat, ipsum servasse prodidit. Notum etiam est, quod in animantibus, quibus nulla superesse videtur vita, hæc tamen revocari possit sufflato per follem in pulmones aere, Vid. Acta Anglicana p. 436. Quemadmodum & ipse partim Cl. Schradero nunc beato, Professore, partim proprio experimento non injucundo conspectu Helmitadii quondam vidi, cor caninum languidum & pene emortuum sufflato in arteriam asperam aere ad motum rediisse. Sachsus in MSto Petri a Castro in Ampelographia

phia lib. 2. c. 3. recenset binas observationes, quibus testatur submersos antea pronos in terra extensos & plantis pedū baculo percussos revixisse. Wepfferus de Apoplexia p. 181. describit historiam personæ laqueo jugulatæ, quam Angli medici a morte resuscitarunt Venæsectionibus repetitis. Tandem domestico etiam experimento constat, quod, qui mortuorum instar procumbunt, non raro excitari soleant externa percussione, sternutatoriis, frictionibus externorum cum sale, aceto. Cum itaque his omnibus non nisi musculi cordis & solidorum impulsus fluidorumque progressus promoveatur & tamen vita hac ratione languidis redeat, hinc apertum fit, vitam etiam nonnisi in solo sanguinis motu ac circulo, qui mutua actione & reactione solidorum cum fluidis perficitur, consistere.

III. Exposita sic vitæ ratione, non opus est latius inquirere naturam mortis, si enim vita consistit in ipso circulo sanguinis, hujusque in corpore præsentia, sequitur mortem, tanquam vitæ oppositam nihil aliud esse, quam motum istum sanguinis ita destructum, ut in integrum non amplius possit revocari. Circulus enim sanguinis quamprimum plane sistitur, omnes etiam actiones, quæ vitam sequuntur sic dictæ vitales nempe remittunt, respiratio inhibetur, pulsus denique cordis, & arteriarum imo totius corporis tam internus quam externus motus sequestratur, mox plane intercepto vita hominis extinguitur. Simplici itaque hac motus everfione mors hominis absolvitur, non destructione mixtionis, corporeæ, quippe ab hac corpus sat diu extinctum conservari potest experientia id adprobante, quippe in regionibus polo
sep-

septentrionali vicinis, ubi acerrimi frigoris beneficio defunctorum corpora minus patent corruptioni vel putredine in auras dissolvuntur. Non minus cadavera animantium in sabuloso quodam Africæ deserto omnis corruptionis expertia reperiuntur, in statum ἀφθαρσίας degenerata, manifesto quidem argumento, non mixtionis destructione constare mortem. Hinc strangulatione, frigore subito enecati dicuntur; sicuti & sunt, mortui, licet omnibus partibus tam fluidis quam solidis integra adhuc sit mixtio & incolumis. Accedit, quod hæc texturæ corruptio, non præsentem statim mortem, invadat corpora, sed sensim, & nisi ipsi præoccupetur per spiramenta temporum eadem consumat, non obscuro argumento, hanc mixtionis everfionem neutiquam ipsam mortem sed mortis potius effectum rectius appellari. Et quanquam multis variisque modis mors homini accidat, nullum tamen mortis genus, nulla ejusdem species invenitur, quæ non ex hac motus destructione velut uberrimo fonte sit deducenda. Sive enim homo pereat morbo eoque vel acuto vel chronico, sive violenter ferro vel veneno adpetitus extinguatur, ex interceptione circuli sanguinis suffocatur.

IV. Mortem igitur hominis paucis rectissime definire licebit, quod sit extrema C. S. stasis sive irrevocabilis vitalis fontis quies. Jam vero, cum justissimum Numen ita disposuerit, ut hominem post feralem lapsum Adami mors certa atque inevitabilis maneat, ex iis, quæ hæctenus diximus, illud trahi posse videtur, quod, si ex everfione hujus motus, quem modo proposuimus, mors sit derivanda, inde sequatur necesse sit, ut quo propior fato homo, eo tardior, eo languidior hic

B

motus

motusprehendatur. Vita vero humana testante id insuper scriptura sacra intra annum terminatur 70. vel 80mum; quod autem hisce annis sanguinis motus interitui magis adpropinquet, nemini incognitum esse poterit, cum ad oculum fere cuique pateat omnium motuum tam internorum, quam externorum, omniumque actionum in senibus tarditas, remissio ac difficultas, testante id insuper pulsu cordis ac arteriarum lentiori tardiorique. Quapropter in hoc utique conveniunt medici, motum sanguinis obrepente senio paulatim idemtidem senescere, hominemque imbecillitatis suæ maxime admonere, sed rationem solemnem hujus ac perpetui in microcosmo ordinis reddere ingeniosissimo cuique maxime difficile semper visum fuit. Cui enim non mirum, non incongruum, non rationi contrarium videatur, quod in provectiori ætate sanguis in motu ordinario languescat, cum tamen eadem alimenta, aliaque vitæ subsidia, quibus in juvenili ceteraque ætate ille motus cum universo corpore non solum sustentatus sed & auctus fuit, senibus suppetant. Cujus quidem rei explicatio defatigavit plures, in qua tamen destituti physica ac mechanica nihil aliud profecerunt, quam ut obscuris terminis obscuram alioquin rem spissioribus tenebris devoverent. Quid enim intelligere possum per calidum innatum, per humidum radicale, flammulam vitalem, horumque defectum & cetera, nescio nugas an somnia dicam, quæ tamen nostri temporis lux serenior discussit dissipavitque.

V. Inter omnes tamen accuratiori diligentia hanc rem deduxit Burnettus in Telluris Theoria sacra, cuius

jus quidem hæc sententia celebratur : Esse in rerum
 natura ita constitutum, ut instrumenta mechanica &
 corpora elastica, quæ facultate movendi pollent, in-
 terjecto temporis & continuato nimium motu paula-
 tim debilitentur, movendi vi & actione ac reactione
 sensim inde deficiente. Parem rationem esse corporis
 humani, cujus elasticæ fibræ, dum perpetuo motu at-
 teruntur, sensim contrahendi facultatem perdere,
 minus recte propellendo sanguini sufficientes. Quo
 quidem necessario sequi, ut quo gravior aliquis sit an-
 nis, eo debiliior sit sanguinis motus, imo ut tandem
 extingatur fibrarum robore plane exhausto. Ve-
 rum ex pluribus, quæ me dubitare jubent de hac sen-
 tentia, unicum saltem adducere juvat : nimirum ex
 dicta Auctoris ratione id consecuturum fore, ut mo-
 tus sanguinis multo facilius injætate puerili sit defe-
 cturus quam senili, siquidem satis constat, pueros
 molles, debilesque fibras fovere. Quo magis inde e-
 veniret, ut primis statim annis, deperdito fibrarum
 robore & sanguini motus desineret, & ita vitæ termi-
 nus nequaquam ad tot annos extenderetur, quod ta-
 men minus accidere videmus. Deinde, cum in ante-
 diluvionorum corporibus ob atmosphæram puriorem
 ac sereniorum procul dubio quoque celerior motus
 fuerit, illorum etiam fibræ breviori intervallo debi-
 litatæ arctiori termino vitam eorum circumscrip-
 sent, cujus rei contrarium tamen aperte satis scri-
 ptura ostendit. Alii principium spirituale causam a-
 ctionum vitalium statuantes, uti ex neglectu phy-
 sices ac mechanices in ceterarum naturalium re-
 rum explicatione hallucinantur, ita etiam circa

rationem hujus rei tam mirabilis hærent quam maxime.

VI. Nos breviter ita sentimus: Homo quotidie alimenta ingerit, quibus ejus corpus in prima ætate non sustentatur solum, sed & augetur, donec ad justam magnitudinem & staturam perveniat. Idem igitur jam adeptus illam corporis mensuram, quæ a natura ipsi proposita est, nihilo secius tamen eodem cibi ac potus usu opus habet, eo nempe sine, ut vitalis sanguinis fons, qui per varias excretiones continuo circulo & transitu exhauritur, hisce alimentis rursus adimpleatur. Jam cum sanguis subinde ita accedens, omnes corporis partes, adeoque etiam porosum fibrarum genus, quod motum corpori præstat, continuo aduat, verosimile omnino videtur, oleosas ac gelatinosas illius partes nutritioni aptissimas, dum poris harum fibrarum clementer adlabuntur, iisdem paulatim inhærere, ita ut fibræ ob conceptam inde compactiorem firmioremque texturam vim contrahendi æque ac expandendi sensim amittant ab accedente novo subinde incremento. Deperdita itaque prompta facilique movendi facultate, qua prius pollebant fibræ, sanguis vi impellente destitutus in motu primum senescit, mox tarditate illa, qua corpus permeat, crassam spissamque substantiam induit & transpiratione hinc insuper magis cohibita in corpore accumulatus, mole sua ac resistendi vi ægre simul commovetur. At tritis igitur sub senectute hoc modo vitalis motus subsidiis, idem sensim turbatus, mox interceptus plane, necessitatem moriendi homini imponit. Atque ex hac ratione, minus difficulter explicatur, quod supra dictis

dictis auctorum sententiis maximam semper peperit difficultatem, cur, qui ante diluvium vixerint, longius vitæ spatium impleverint, quam qui hodie vivunt, cum tum temporis atmosphæra non tantis impuritatibus infecta purum viridemque spiritum corpori suppeditarat, quem promptior vegetiorque sanguinis motus consequeretur, succedente simul fibrarum nutritione, quæ sub motus segnitie magis viget, parciore, ipsarumque hinc firmitate tardiori. Quo minus etiam mirari subit, cur iidem homines centum jam annos consecuti etiam a sacro scriptore adolescenterum appellentur, non alia nempe de causa, quam quod lentius tum atque tardius justum corporis robur firmitatemque sortiebantur. Huic equidem sententiæ quanquam nesciam, an alii ex eruditis accedant, iidem tamen accedit Excell. Dn. Præses, qui cum quondam occasione publici actus disputatorii primam mihi præbuit ansam, hanc rem ea, qua proposui, methodo perpendendi, tum etiam ejusdem sententiæ mentionem fecit in ultima disputatione de Anatomie usu §. 7. Fufius hæc deducere minus difficile foret deducendo simul exinde omnis diversitatis, quæ majorum nostrorum & hodiernorum corpora intercedit, causam, nisi instituti ratio, a quo longius recessi, me ad se revocaret.

VII. Perspecta igitur jam mortis natura in genere, progredimur instituti ratione excitati ad illam speciem, quam subitam citamque appellamus. Sunt vero diversi modi, quibus homo securus nihilque minus quam mortem expectans, morte rapitur. Ut enim taceamus, innumeros mortalium non sua morte

defungi, sed violenter perire ferro, igne, lapsu, suffocatione occidentes, quotidianis observationibus docemur mille casus dari, qui homini insidiantur, subita vi eidem spiritum elidentes. Inter hos ante omnia numeramus venena, i. e. ejusmodi pharmaca, quæ in minima dosi assumta jugulant hominem vehementissimis gravissimisque symptomatibus excruciatum. Atque horum venenorum duo genera sunt, alterum ferali causticaque vi atque rosione ventriculorum ac intestina vellicando adeoque spasmos vehementiores excitando perniciem adfert, alterum humores rarefaciendo hos in motu sistit & corpori stupore maxime atque torpore pestiferum observatur. Ex horum numero sunt sic dicta narcotica, opium, mandragora, datura, ad priorem classem arsenicalia & mercurialia, sæpe præsertim excitata referuntur. Fatum porro subitaneum sibi accelerant homines non raro illis rebus, a quibus vitæ ac sanitatis præsidia petunt. Quippe & observamus, utilissima alioquin remedia sæpius præter spem lethum afferre, nisi corporum ratio prudenter habeatur. Vomitoria certe, purgantia multum boni corpori præstant, eidem tamen extrema mala subito adferunt, si imprudenter adhibeantur a medicastro, non considerata recte natura assumentis. Alii rursus præter spem ultimum vitæ diem incurrunt, detenti morbo, qui, cum ex morbo nihil periculi ipsis impendere videatur, accedente tamen subita malignitate aeris vel alio errore admisso confestim intercipiuntur, malo, quod nihil mali alioquin portendebat, in pejus abeunte. Sunt, quos ex intemperantia affectuum inopinato sublato accepimus. Et, quod mirabile, non

non ira, non terror solum, hostes quippe insensibilissimi corporis, machinam nostram destruere possunt, sed illi etiam affectus, quos cum voluptate, cum singulari animi delectatione percipimus, dulci quasi veneno præter omnem expectationem hominem exanimant. Est lætitia gratissimus & salutaris homini affectus, si modica fuerit, eadem tamen, si repente animo, in primis mœrore attonito, offertur, non raro quidam pereunt copia atque turba & quasi ruina incidentis gaudii oppressi & exanimati. Transeo etiam alios subitæ mortis casus, qui a diversa causa externa accidisse ab Auctoribus observantur. Ita alii ex pilo in lacte hausto, alii a digito imprudenter œsophago inserto, alii ab evulsione dentis, alii ex alapa inflicta expirarunt, historiis id comprobantibus. Multis porro maligniores exhalationum fumi, quos in conclavibus calce recenter tinctis, in horreis spumante musto atque recenti cerevisia plenis, in metallifodinis, præsertim, quæ venas mercurii & plumbi sovent, ore imprudenter exceperant, finem vitæ ex improvise attulerunt. Hæc autem subito defunctorum exempla non adeo admirationem & medicam considerationem merentur, cum illorum causæ tanquam externæ & violentæ facile pateant, & quanquam pateant, medici tamen opem minus desiderant.

VIII. Nos itaq; de subita morte dicturi, remotis iis speciebus, quæ hæc tenus enumeravimus, illam nobis pertractandam sumimus, quæ frequentius est, & ab interna atq; latente causa accidit, hominem satis sanum belleq; valentem, uti ex oris vultusque colore non raro apparet, subito opprimens. Et hæc certe intentio, hoc
stu-

studium, hic denique labor medici esse debet, ut ejusmodi mortis naturam atque ingenium exploret, latentem ejus causam persequatur, imminentemque depellat, homini præsentis discrimine erepturus. Videmus sæpe robustissimos homines subito ita emori, cum antea prospera valetudine sibi frui videantur, & ad ultimum vitæ halitum officiis muniisque exequendis sufficiant vix morbi ne dum mortis periculum somniantes. Itaque patrio sermone lepide dicitur de homine ita deficiente: *Der Mann war frisch und gesund/ aber ehe man sichs versah/ fiel er tod zur Erden.* Neque enim rarum est, quin quotidianæ experientiæ, multos in publicum prodeuntes, alios deambulantes fulmine quasi tactos procidere. Neque novum est, alios in lecto, quem sani firmique conscenderant, mane demortuos reperiri somnum morte continuantes; alios in sella confidentes, alios inter fabulas fabulam vitæ implere motu ac voce eosdem simul ac semel deserentē: Quanquam igitur ejusmodi homines pulcherrima valetudine uti sibi videntur vigore actionum corporearum persuasi, nihilofecius tamen venæ ac præcordia aliquid monstri alunt, quod, licet tum ipsos tum medicum sæpius fallat, adeo tamen, si diligentius attendas, latere non potest, quin uno alterove symptomate latentem quasi in herba anguem deprehendas. Solemne enim est, eos, qui ejusmodi morte occidunt, antea & priusquam ipsum fatum subeant, variis malis, quorum infra meminimus, affligi, quanquam non eo semper procedant vehementiæ, ut languentem lectulo affligant. Jamque apud plurimos pessimus certe mos est, ut, nisi gra-

gravitate morbi evicti lecto se continere cogantur, nunquam medici consilium expetant, sua negligentia fatum, quod alioquin averti forsan poterat, sibi arcescentes. Quam subito vero ipsa hæc mors opprimat, vel illud testimonio fuerit, quod oppressi illius impetu vix verbum sæpe antea, quam plane exsolvuntur, proferre possint, nisi quod correpti repentino malo velut telo confixi hisce verbis ingemiscant: *Ah wie wird mir so übel! Wie wird mir so ängstlich umbs Herz! Wie wird mir mein Haupt so schwer!* Nonnunquam tamen accidit, ut, licet repente in terram prolabantur, omni sensu tam interno quam externo privati, præterea audiendi ac loquendi facultate destituti, motu insuper corporis turbato impeditoque, interim tamen pulsus cordis, ac arteriarum cum respiratione superfit, vita ad aliquot horas imo dies sæpius perdurante.

IX. Atque hic est celerrimus ille & præceps mortis impetus, quo magna mortalium pars rapi solet, commodissimum jam videtur, interiorem ejus causam persequi, ut hac cognita via nobis pateat cum totius mali historiam, tum quæ idem sequuntur, curatius explicandi. Interiorem nempe causam vocamus, quæ abdita & a natura clausa est, eademque ut in conspectum detur, necessarium est incidere corpora mortuorum eorumque viscera scrutari. Optime igitur & nos facturos arbitramur, si auctores varios, qui homines subito hoc fato extinctos ferro anatomico recluserunt, adeamus, ut ab iis edocti latentis mali sedem atque originem cognoscamus. Sunt vero variæ causæ, a quibus mortem subitam profectam esse adserunt auctores. Ita Cl. Fernelius in duobus corporibus illam evenisse scri-

bit a bile, uti vocat, retorrída, quæ in arterias effusa topi nigri speciem induerat. Eandem mortem alios a rupta intra pulmones vomica occupasse idem adfirmat, sanguine ad interiora cordis redundante suffocatos. Joh. Bilgerus ab hydrope thoracis subitum vitæ excessum in fene quodam, eundemque in puella trium annorum a pulmonum tabe atque consumptione adnotavit. Et Bonetus uxorem quandam a rupta fellea vesicula, quin Rayerus a valvulis ad aortæ principium sitis inque ossæam concretis duritiem sutorem Parisiensem derepente periisse scribit. Tacemus jam de aliis iisque diversis rebus, in quibus mortis subitæ causam multi ex observationum scriptoribus posuerunt, parum solliciti, an iisdem rebus causa recte innitatur.

X. Cum itaque latissimus diffusissimusque campus pateat, in quo agmen causarum subitam mortem continentium medici explicent, objiciet forsitan aliquis nobis, cur de præcavenda hac morte loquamur, cum tamen vix fieri possit, ut tot tamque variis causis intra corpus latentibus vera quidem deprehendatur. Hisce quidem primum respondemus, ex illa causarum multitudine, ex quibus auctores hoc malum deducunt, plurimas ita esse comparatas, ut si altius easdem inspicias, statim appareat, illas lubrico fundamento insistere, quippe quæ adeo non effecerunt sæpe subitam mortem, ut potius diuturnum morbum antextitisse indicent, in pejus subito mutatum. Qui quidem error exinde inprimis fluxit, quod plurimi ex medicis præsertim veteribus vel neglecta plane vel minus accurate exculsa Anatomia parum diligentia atulerint inspiciendis corporibus, causisque morbi mor-

tisque inquirendis. Videmus enim, multos, dum hisce in studiis parum versati sunt, tam gravem interdum admittere errorem, ut quod in corpore naturali positu & ordinē se repræsentat, illud nonnunquam velut præternaturale intueantur. Imo, si quid in corpore offendunt leviter a consueto statu remotum, illud defunctum interceptisse mox clamant, & rati se jam invenisse, quod pueri in faba, seu veram mortis causam, ampliori operæ superfedent, fontem atque caput rei negligentes, cum insigni ipsorum dedecore. Quod minus dubitare nos patitur, ex eodem, nescio neglectu dicam, an ignorantia Anatomica evenisse, ut subitus vitæ exitus multis causis, quæ tamen minus rationi respondent, adsignetur. Neque vero id nobis adrogamus, ut ejusmodi viros, qui alioquin multis egregiisque experimentis artem nostram nobilitarunt, eo vituperemus, quod propter sæculi tenebras interdum lapsi fuerint, illud tamen adfirmare juvat, nos, si eos Anatomicos, qui accuratius solertiusque hanc doctrinam tractarunt, consulamus, exploratiores subitæ mortis causas ab illis nobis demonstrari. Illud tamen adhuc monendum ducimus, nos non negare plane, quin ex ejusmodi causis, quas ab auctoribus relatas supra comprehendimus, subitò quandoque pereant nonnulli, hæc tamen huc loci non pertinent, quod hujusmodi causæ rariores sint, cum nos frequentius & quotidianum subitæ mortis genus tractandum sumserimus, exposituri, quæ ratione corpus a pestifero hoc malo tueamur.

X. Itaque illi, qui solertiori studio subita extinctos morte inciderunt, exploratiores hujus rei causas adferunt, ex triplici maxime fonte ejusmodi mortem

deducentes. Ubi enim illorum corpora aperiās, diligentius viscera persequutus, plerumque observabis vasā in nobiliore corporis parte sanguinis mole distenta turgescere, vel ingentem sanguinis copiam iisdem ruptis extra alveum effusam, intra corporis cava redundare, vel vasā denique, viscida ac solidiori materia, quam polypum vocamus, obsēsa atque clausa esse cum non obscuro indicio mortis inde consecutæ. Atque ex infarctu quidem vasorum plures repente deficere, vel unicum idque gravissimum Cl. Panoroli testimonium suffecerit, qui luculenter iprodit, anno 1651. feraci ejusmodi mortium tempore, plures patefacto corpore non aliam tam vehementis strenuæque mortis causam ostendisse, quam insignem vasorum infarctum, a sanguine intra cor nimium retento strangulatos. Idem & aliorum auctoritate subfulcire possemus, nisi abunde esset, Virum infinitæ lectionis Bonerum nominare, qui in Anatomia practica lib. 1. sect. 2. & l. 2. f. 2. multis exemplis hanc rem illustravit. Atque ipsa quidem ratio facilis nec diu circumspicienda, siquidem vasā, dum irruentis sanguinis mole fluctuant, nimium inde expansa ac distenta, salutarem illam contrahendi facultatem sanguini expellendo destinatam, sensim amittunt, ita quidem, ut sanguis denudatus impulsiva vi, intra vasā subsistat primum, deinde reliquo sanguini subinde adfluente iter claudat, novissime in universo corpore turbato fluidorum motu stasim eorundem efficit, cui ceu fundamento mortem insistere supra posuimus. Illud in primis notare oportet, quod quo nobilior, quo excellentior pars corporis est, quam ejusmodi stasis insidet, eo celerior acutiorque mors exinde consequatur.

Quo

Quo minus mirabile puto, quam celerrime spiritum elidi, si idem malum in vasa majora, qualia cor in primis fovet, incidit, quippe hoc, cum quo pollet, robore, vitalem laticem in omnes corporis partes æquali flumine digerat, diuturna stagnatione nimis dilatatum elasticam ac contractivam vim plane exuit atque inde in pulsu ac motu deficiens syncope cardiacæ præbet occasionem. Proximum dignitate caput est, ideoque non minus illi periculi ab ejusmodi stasi propositum, nisi mature succurratur. Ubi enim in ventis sanguinis copia cerebri vasa maxime plexus choroidei nimium turgent, mole a pondere principium nervorum, quod proxime positum est, comprimendo, principii activi influxum excludunt omni mox sensu motuque deficiente.

XI. Deinde pleniorum eorum numerum inveniris, quos ex disrupto vase majori, sanguis cum impetu in cava pectoris, capitisve delapsus interimat, celerique morte adficiat. Ita Paulus de Sorbait meminit, multos se aperuisse, qui cum ad ultimum fere spiritum non manifesta mortis signa ostendissent, detecto tamen corpore insigne aliquot vas disruptum spectatoribus repræsentasset. Idemque adserit Th. Warthon in adenographia c. 2. referens se in iis, quos apoplexia subito abstulerat, ventriculos cerebri sanguine refertos deprehendisse. De qua re cum plurimas egregiasque historias collegerit, quem supra laudavimus, Bonetrus loc. cit. merito ad illum lectorem remittimus, non longis ambagibus eundem remoraturi. Minus tamen præteriri a nobis debet ratio, quæ quantofacilior, tanto promptius a nobis præ-

ponetur. Facile nempe intelligi potest, sanguinem, ubi aperto vase, majore mole erumpit, in reliquis inde venis arteriisque deficere, unde hydraulicus machinæ humanæ motus pene extinguitur. Quam pernicioſa vero ſit talis vaſorum apertio in thorace ac capite, ex ante dictis ſimul colligi poteſt.

XIII. Accedimus jam tertiam eamque frequentiffimam ſubitæ mortis cauſam, quam qui intenſiori cura viſcerum ſinus ſcrutantur, in eo poſitam adfirmant, quod major corporis canalis, per quem ſanguis ire debebat, ſubſtantia fibroſa membranaceaque ocluſus plerumque in ejuſmodi corporibus reperitur. Dicitur hæc polypus atrociffimum invictumque fere malum; ſiquidem intra cordis ſinus & nobiliora vaſa pullulans mucilaginosa tenacique materia eadem obſidet, diffuſis in alias partes pedibus ita ut quamdiu impune oberrare poteſt ſanguis, vita conſeruetur, mox ubi incremento ſumto vel ſede ſua plane avulſus liberiori ſanguinis circulo cordisque motui penitus obſtat, ægrum clandestina atque repentina morte ſuffocat. Atque hiſce polyphis ingentem mortalium numerum perire diligentior curatioſque corporum apertio detexit, qua non obſcurum eſſe poteſt, eos, qui præcipiti fato obeunt, plerumque ejuſmodi intempetiſtum & fatalem hoſpitem intra cordis reſſus fovere ab eodem interfectos. Quod eleganti obſervatione confirmat Joh. Georg. Greifelius Miscell. N. C. anno 1670. obſ. 74. cujus verba juvat commemorare. Quotquot, inquit, apoplexia aut catarrho ſubſocativo (quibus homo frequentius ſubito decedit) mortuos aperui in omni-

omnibus corpora illa callosa viscida ac glutinosa aut in cerebro aut in corde deprehendi. Vidit idem Cl. Wepferus, quo nemo diligentius, nemo frequentius, curatiusque apoplecticorum corpora considerasse videtur, insignem polypum in ejusmodi homine, quem apoplexia jugulaverat, qui non cerebrum solum arcto renacique complexu occupaverat, sed in omnes etiam sinus ejus ramos dispergebat, imo longissimis carotidum recessibus impingebat. Neque aliter sentit Cl. Bartholinus, qui lib. de lact. thor. c. 14. scribit, ipsum in iis, quos subito fato extinctos examini anatomico subjecisset, majora cordis vasa sanguine concreto repleta invenisse. Plures hujus generis historias diligentes harum rerum scriptores suggerunt, quos studio brevitatis omittimus, quod vel ex iis, quos adduximus abunde pateat, rarius celeriore morte hominem opprimi quin ejus causa polypus simul sit constituenda. Crediderimque ego eundem etiam in illis, quos vario modo repente defunctos supra commemoravimus, diligentius excusis visceribus semet fuisse ostensurum. Neque enim promptius celeriusque omnis sanguinis motus sisti potest, quam si in majori vasorum ramo ejusmodi obstructio lateat. Quin superiorum dicta vasorum repletio imo ruptio ex nulla alia causa quam ex polypo melius deducitur, sanguis enim transitu prohibitus ad alia loca declinatur cum imperu vasis illidendus.

XIV. Formalem itaque mali nostri rationem triplicem omnino statuimus ex nimia vasis cujusdam dilatazione vel ejusdem ruptione, vel denique occlu-

sio.

sione eandem persecuti, non necessarium jam videtur, ut materialem etiam causam ex qua nascuntur illae, paucis proponamus. Est haec duplex imprimis, nimia nempe sanguinis abundantia, quam plethoram adpellamus, vel, de quo jam locuti sumus, polypus. Utriusque hujus ingenium atque originem penitus jam inspiciemus ut tanto facilior via pateat reliquam subita mortis historiam ex hoc fonte deducendi. Polypo igitur, quem primum in conspectum dabimus, nomen dedit pedum ramorumque varietas quibus in alias ac remotiores partes exporrectum majores nostri primum reperiebant in narium cavitare. Est vero polypus concretio fibrosa ac membranacea, pinguior ut plurimum, p. n. in corporis tubulis coalescens. Utque eidem varia figura, quippe modo serpentis, modo vermis modo alia specie se representans homini imponit, ita varius etiam iidem est color atque magnitudo. Siquidem jam major jam minor apparet, frequenter albus cinereusque occurrit rubicundis grumulis distinctus, quos a globulis sanguineis recenter allapsis induisse videtur, interdum tamen coagulatum fere sanguinem exprimit. Mollis ipsi saepe substantia, saepe durior, interdum in lapideam fere duritiem consolidatur. Et inde est, quod multi de lapidibus intracordis cava deprehensis scribant, cum polypus in ejusmodi speciem solidam induratus ignaros Anatomicae forsitan fefellerit. Talem lapideum polypum Parisiis e corde cadaveris virilis exemptum Diarium Parisiense Medicum vulgo Journal de Medecin commemorat. Deinde experientia compertum est, va-

riam esse ipsius magnitudinem eamque sæpius stupendam. Ita Eduardus Tyso Medicus peritissimus meminit polypi cujusdam, qui in tam vastum corpus excreverat, ut extractus demum integer cum ramulis, quibus in remotissimas etiam venas excurrerat, singulas fere earum mirabili sane spectaculo repræsentaret. Æque stupendæ molis est geminus ille, quem V. Cl. Joh. Cousin, in uno quidem corpore deprehendit, qui cum in utroque cordis sinu velut feræ hostes confidissent, alter quidem ovum gallinaceum, alter anserinum etiam, quod mirabile plane, magnitudine exsuperabat.

XV. Originem trahit polypus a crasso viscidoque sanguine minus expedito itinere corpus percurrente. Deficiente enim validiori impulsu viscidiores sanguinis particule facile hinc inde hærent asperitate sua venarum & arteriarum lateribus adlabentes, quo fit, ut sedente paulatim fluido in solidam plane figuram indurescant, in fibrillas membranaceasque moles ubi incrementum sumserunt, coalescentes. Jamque in confesso est, foveri hoc malum imò pro generari quam maximè a quibusdam animi adfectibus diuturnis, nempe a tristitia, metu, mœrore & luctu. Neque sane minoris efficacitæ hic esse dixerim adfectum dictis illis contrarium alioquin gaudium scilicet animumque plane quietum atque hilarem vulgo *ein vergnügt und ruhig Gemüthe*. Porro huc spectant vita sedentaria ociosaque & somnus copiosior. Retardato nimirum hisce rebus sanguinis motu viscidiores partes facilius sedunt atque coalescunt. Materiam copiosam polypo suggerunt victus plenior atque delicatus cibique

D

amplius

amplius enutrientes, quorum ulterior mentio inferius erit facienda.

XVI. Alterum jam nostri mali fontem, quem diximus, plethoram nempe aperimus. Est hæc nimia sanguinis abundantia, quæ, quod & vasorum amplitudini & motricium partium robori minus respondet, difficulter omnino suum in orbem iter per corpus explicat, multa inde mala adliciendo. Sique ita sanguinis mole vasorum angustia turgent, de facili fieri potest, ut vehemientiore incidente motu quædam illorum pars præsertim quæ minus firmiori carne munita est, subeuntis sanguinis vi expansa nimium salutarem contrahendi motum plane destituat vel disrupta etiam ingentem humoris vim in cava corporis exoneret, præsentique periculo vel inexpectata sæpe morte hominem opprimat. Et licet plethora per se jam periculosa factis sit, tamen periculosior omnino evadit, ubi viæ, quæ sanguinem recipiunt, polypo simul sunt obstructæ, restagnationi scilicet humorum vasorumque infarctui magis velificantes. Nimiam humorum copiam sibi facile contrahunt, qui cibo potuque liberalius corpus implent. Faciunt vero huc maximè solidiores cibi, copiosæ carnes item potus crasioris naturæ minus recte per vias urinarias delabentes. Præterea sanguinem augent omnia fere, quæ motum ejusdem tardiorum nimis efficiunt, uti sunt ocium vitæque sedentaria umbratilisque aliaque hujus generis.

XVII. Demonstrato itaque jam fundamento nostri mali minus operosum fuerit ulteriorem ejus historiam subjicere. Memorabile vero illud est, expositos magis esse subitæ morti, eandemque facilius pati homines obesos

obefos, qui molli delicatæq; vitæ affueverunt, & vita sedentaria ac otio lætanrur, cibis, qui corpus implent, simul nimium innutriti. Hinc merito illis, qui florido vultu apparent, subita mors extimescenda, quod hi plerumque ejusmodi molliis delitiisque delectantur, ipso vultu lautitias ipsorum denudante. Et Germani per experientiam edocti eleganti proyerbio idem comprobant: *Diejenigen / so wie Milch und Blut aussehen / überfällt öftters der Tod am ehesten / am schleunigsten.* Nec alia ratio est, cur nobiliores; cur qui in principum aulis atque in urbibus versantur, magis frequentiusque hac morte opprimantur, quam viliores homines & qui ruri degunt, quod illi otio lautæque vita adfluentes corpus pinguedine nimia augent, hi contra laboribus dediti accedente levi faciliq; vita pinguedinem minus contrahant. Quod autem dicti pinguiore, obefiores, otiosi aliiq; quos nominavimus, tam facile nostro malo corripantur, mirum non est, quoniam omnes illi sanguinem alunt nimis viscidum adeoque pro generando polypo aptissimum.

XVIII. Præter hos obefos autem quos diximus illos etiam inopinata mors frequentius auferre solet, qui licet sæpe tenuioris graciliorisque corporis sint, majorem tamen sanguinis copiam intra vasa sovent, quam quæ eorundem angustiis capi & viribus solidarum partium circumvolvi possit, vulgo dicti plethorici. Hinc etiam est, quod illi, qui de dolore capitis gravativo præsertim post pleniorum corporis motum conqueruntur, celeri citoque vitæ exitu periclitentur, quoniam solemne hoc plethoræ symptoma existit. Idem-

que periculum propositum est in proveciori ætate constitutis non alia de causa, quam quod hi ob tardio- rem cunctantemque sanguinis motum & quæ inde sequitur languidiorem sordium per spiramenta cutis rejectionem, abundantiam humorum incurrat cum præsentis valetudinis vitæque discrimine. Adeoque minime mirum esse debet, post intermissam sanguinis detractio- nem cum salubri alioquin levamento, item si sanguis u- tili naturæ motu per nares aliasque vias effusus consti- tit, hoc periculum imminere.

XIX. Neque rarius subito fato decumbunt ca- chectici, quorum nimirum sanguis, qui & viscidior exi- fit & tardiori simul gradu per vasa procedit, promptis- sime polypum progenerat. Et memorabilis hanc in rem observatio est, quam Dn. Graffium Sereniss. Ele- ctoris Palatini Medicum Castrensem in castris ad- notasse Excell. Dn. Præses in nupera disputatione de Asthmate Convulsivo scribit; Milites nempe, cum va- rii generis piscibus Rheni exundatione in littus & vi- cinas fossas ejectis per æstatem vescerentur, & proximo autumno sub aere frigido ac pluvioso Landaviam expugnantes cachexiam contraxissent, pleno numero derepente interierunt, ut etiam vel inter cibum vel ip- so in somno subfocati fuerint. Et quod notabile, in omnibus ita defunctis, quorum quinquaginta circiter dissecti fuerunt, inventus fuit polypus monstrosa ma- gnicudine.

EVET. XX. Uti autem tempus anni vernum atque au- tumnale ferax maxime morborum est, pluribusque funeribus foedum, ita iisdem temporibus, hyberno tamen minus excluso, mors nostra maxime timeri oportet.

oportet, non quod non omni tempore sed quod frequen-
 tius illis temporibus eveniat. Cujus rei ratio non ex
 longinquo peti debet. Cum enim cœlum tum præser-
 tim variet, & propter ventos boreales ac occidentales,
 qui tum maxime dominantur, corpora modo humi-
 ditate nimia solvantur, modo a frigoris vi confringa-
 tur, hinc interclusa sic salutari transpiratione humo-
 rum copia corpus accumulatur & ad hanc mortem præ-
 paratur. Quod cum crebrior experientia demonstrat,
 tum Dom. Panarolus egregia observatione confirmat,
 malignitatem ejusmodi tempestatum & multos variis
 morbis afflictos & plurimos subito correptos interce-
 pisse. Et placet observationem in conspectum dare
 verbis auctoris retentis: Anno 1651. inquit, brevi
 temporis spatio unus post alium præcipiti ac repenti-
 na morte occubuit: anno præterito semper fuerunt sic-
 citates immensæ & præsertim æstatis tempore cum ar-
 dentissimo fervore copulata; elapso anni 1650. autu-
 mno aquæ copiosæ statim post calorem & siccitatem
 humectantes agros, rigantes prata visæ sunt; post a-
 quas vero siccitas cum frigiditate supervenit, unde &
 copia catarrhi & frequentia aphthaliæ & anginae
 spuria visæ sunt. Anatomica sectio in his corporibus
 ostendit cor a sanguine suffocatum. Porro experientia
 constat, nusquam homines frequentius morte subita
 jugulari ac in locis septentrionalibus, Svecia, Norvve-
 gia atque Dania & in regionibus occidentalibus item
 locis maritimis aliisque, in quibus aut humidior aut
 frigidior existit atmosphæra ob dictam antea ratio-
 nem.

XXI. Quamvis, vero in superioribus mortem su-
 bitam

bitam ex interna causa deducendam esse dixerimus, raro tamen accidere solet, ut hæc causa in corpore delitescens vim suam exerat, nisi aliud quippiam, externum plerumque accesserit, quod facultate validissime sanguinem movendi instructum internæ causæ præbeat occasionem operandi. Nempe jam supra a nobis positum est, immodicos animi affectus interdum sufficere subitæ hominis strangulationi. Quo minus mirari convenit, ab iisdem in iis corporibus, quæ jam alioquin proclivia sunt ad mortem subitam, hæc ipsam excitari. Perpetuumque fere est, eos qui ejusmodi fato defunguntur, tale quid antea passos fuisse, siquidem vel impotenti accensi ira vel subito percussi terrore, imo, quod supra jam monuimus, repentino vehementique gaudio perfusi inter suorum manus atque gratulationes perierunt. Quod cum historiæ Medicæ tum quotidiana experientia passim testentur, incongruū videtur multis observationibus id ipsum illustrare.

XXII. Illud vero mirari omnino subit, iram & terrorem uti diverso modo animum hominis adficiunt, ita & eosdem diverso plane motu vitæ nostræ insidiari. Nempe animus furore percitus e sede sua quasi deturbatus magno cum impetu ad externa magis ruit, parique modo sanguis sub hoc statu maxima vi e centro corporis corde nimirum expulsus ad externas corporis partes, caput imprimis, diffunditur ibidemque tragædiam suam ludit apoplexia maxime funestum homini interitum minitando. Quod vero sub hoc adfectu sanguis ad externas partes magis pervagetur, illud ex habitu irati cognoscere satis licet; quid enim vultus summo rubore suffusus, quid oculi igne quasi micantes

tes, quid æstus ceteras externas partes divexans indicat, nisi sanguinem in iisdem turgescentem. Alia nocendi ratio terrori, quippe sub hoc animo ad interiora velut reformidans externa refugit pariterque vitalis humor vi frigoris in summa cute dominantis ad cor & pulmones depellitur. Hinc facies pallet, venæ, quæ in ira intumescunt, hic concidunt, corpus denique totum ferale frigore horroreque occupatur. Atque inde est, quod hic adfectus, cum sanguinis molem ad cor & pulmones premat, catarrho suffocativo & syncope cardiaca homini funestum præcipitemque finem molitur.

XXIII. Neque jam obscurum esse poterit, cur ad excitandam subitam mortem plurimum quoque valeat vehemens corporis motus externus, cum hoc ipso & internus sanguinis motus quam maxime excite-
tur, adeo ut inde facile subjecta disposita dicta sæpius ratione subito interiri queant. Ita multa eorum exempla constant, quibus in ipso pilæ lusu ludum fecit humana fragilitas ex validiore nempe exercitio subita morte extinctis. Eademque oppressos scimus, quibus ex choreis vehementique saltu corpus incaluerat, ex ipsa hilaritate mortis causa tracta. Porro & illud simul inde eluxerit, nihil paratius, nihil promptius ad hominem ita opprimendum inveniri illis rebus, quæ intra corpus adsumta vehementer sanguinem concitant. Id quod exempla eorum satis comprobant, qui calidorum atque spirituosorum potu delectati mortem inde subitam sibi contraxerunt. Ita summos etiam virosimo heroes celeri sæpius exitu defecisse ex liberali vini usu scimus. Alexandrum M. uti Seneca, ni fallor, alicubi loqui-

loquitur, quem neque arma Perſarum neque ſuorum inſidiæ fregerunt, Hercules Seyphus, erat is vero ingentis magnitudinis, condidit.

XXIV. Longior fuerim, ſi diutius deducendis hiſce immorarer; itaque ut orbem noſtræ diſſertationis percurramus, opus fuerit paucis adhuc deſlectere ad illas res, quæ non ſtrenue & vehementer ſed lento quaſi gradu ad mortem repentinam deducunt. Quo ſpectat omne illud quod ſanguinem viſcidum craſſumque reddit, vel eundem nimium auget adeoque polyppo & plethoræ aditum parat. Sique in genere fontem utriusque mali requiras, intemperantia eſt, illa nempe morborum nutricula, earumque rerum adpetentia, quæ cum modice ſumuntur, mirifice reſcitiunt, enutriunt, cum auidius, alimenta morbis ſuggerunt, vires, quas alioquin excitant, mole ſua opprimendo. Ubi enim corpus nimio impletur cibo, humores inde p. n. accumulati minus commode corpus permeant, ſed viſcidi craſſique perfeverant. Potentes hoc in genere ſunt cibi gelatiuoſi ſuccique pleni, quæ multum nutrimenti corpori præſtant, & oleoſis partibus conſtant, uti ſunt carnes animantium juniorum maxime, inprimis ſuilla, item quæ ex lacte fiunt dapes, ova ceteraque. Ex poru huc pertinent vina dulcia, muſtum, cereviſiæ craſſæ, fœcisque plenæ, quæ lento cunctantique itinere deſcendunt. Atque hæc omnia materialiter demum viſcidum ac copioſum ſanguinem ſuppeditant, formaliter vero idem præſtant omnia illa, quæ motum humorum retardant, vel ipſorum arcent tranſpirationem. Quo nomine merito accuſari debet ſomnus largior, vita umbratilis ac otioſa atque ex animi adfectibus diuturnus luctus

luctus atque mœror, item aer humidus ac frigidus. Quo promptius vero sanguis hanc labem contrahit, ubi ipse salubriter alioquin per nares per menstrua, venarumque ora effusus intempestive constitit & suppressus fuit, vel quæ alias adhibita fuit, sanguinis detractio omittitur. Hinc sane immediate statim nascitur plethora, testantibus id symptomatibus ejusmodi suppressionem mox subsequens, quæ non aliunde nisi ex abundantia sanguinis intra venas accumulati proficiscuntur. Quin experientia etiam docet, illis, qui subito extinguuntur, plerumque ante obitum ejusmodi suppressionem accidisse.

XV. Superest, ut decursa mortis subitæ historia, ipsam rationem demonstramus, qua homo a tam vehementi gravique periculo corpus tueri atque vindicare possit. Quod ut adsequatur, necessarium est, ut in primo præsidio ponat temperantiam, hujusque selegibus adstringat ac obliget, ad hanc vitam sanitatemque moderetur. Sit parcus moderatusque ciborum usus, solidorum maxime, eorumque, quæ antea commemoravimus; in potum, qui liberalior esse debet, ille adsumatur, qui tenuioris ac dilutioris naturæ est, & per vias urinarias facile ac expedite redditur, nec caput ferit, nec multo lupulo abundat, quique ex puro subtilique aqua adparatur. Neq; negligere motum oportet corporisque exercitium; ab ocio autem vitæque sedentaria & copioso somno abstinendum. Accedat quoque aer purus & serenus ventis orientalibus ventilatus, pluvioso frigido humidoque cælo diligenter evitato. Animus sit moderatus erectusque sollicitudine, tristitia ceterisque adfectibus multum valere jusis. Illud vero quam

E

dili-

diligentissime providendum, ne solemnes sanguinis effusiones imprudenti modo cohibeantur, vel quod æque periculosum est, sanguinis detractio salubriter alioquin adhibita, negligatur, cum experimentis confirmatum sit, præsens vitæ periculum sæpe hac de causa accelerari. Atque hæc sunt præcepta, hæc leges, quarum si quis diligens fuerit, si ad eas vitam componit, cum tutum se ab ejusmodi subito periculo præstare, tum ad diurnam prosperamque vitam adspirare poterit, firmam viridemque valetudinem consecuturus.

XXVI. Quo majori jam sollicitudine illis consulendum erit, quibus certis de causis atque signis minus integrum est, securitatem sibi a tam repentino malo polliceri. Neque vero carent periculo, quorum parentes celeriter rapti fuerunt, item obesi, quique jam provectoris sunt ætatis, & ea denique de se signa ostendunt, quibus corpus ad tam præcipitem pronamque mortem præparatur. Sique ex sanguinis copia malum metuendum est, quæ mox ponimus, signa sese manifestant. Vasa sanguinea turgent, facies fusca ac rubicunda est, validus magnusque arteriarum pulsus, viriumque languor & lassitudo. Marcet porro animus, corpus torpet, piget se movere, solitaque munia obire, de capitis dolore præcordiorumq; anxietate subinde æger conqueritur. Inprimis ramen hæc accidunt, si corpus vehementiore motu exercetur, si loca sublimia intentiore gradu adscenduntur, aut caput versus terram inclinatur. Quibus contra ex polypo metus, in his hæc fere notæ oriuntur: Solemnis nimirum est cordis palpitatio ac præcordiorum angustia, pulsus debilis frequens atque inæqualis. Eademque mala intenduntur
post

post validiorem corporis exercitationem, maxime si scalæ & accliviora ascenduntur, & si animus subito terrore percellitur. siquidem, ubi ejusmodi quid antecessit, statim augetur cordis, tremor, cui anxius præcordiorum æstus, cordis veluti stertor & præsens suffocationis periculum adjungitur. Quæ quidem mala leviora in principio, mox interjecto tempore, majus semper fununt incrementum. Polypum vero intra sinistrum cordis ventriculum latentem peculiare quædam notæ indicant, & quidem gravior spirandi difficultas, & quod memorabile imprimis, articularum pulsus alioquin imbecillior inter rursus tendum intenditur augeturque.

XXVII. Quod si itaque ejusmodi malum tam præceps, tam strenuum occupavit aliquem, inter initia statim scire licet, eum de valetudine & de vita maximo opere periclitari. Quo magis etiam adfectus injungendum est, ut curiosissime eorum rerum usum sibi circumcidant, quæ instructæ sunt facultate sanguinem validius commovendi, quando periculum est, ne, si ejusmodi rebus utantur, subito extinguantur. Quanquam proinde homo, si ex copia sanguinis male ita habet, summo discrimini expositus sit, idem tamen unico remedio sæpe liberari potest, opportuna nempe sanguinis detractione. Demta enim mole illius, robor vigorque corpori redit, actiones reviviscunt & præsens vitæ periculum, quod extimescendum alioquin erat, depellitur. Atque utinam aureum hocce remedium non adeo averfarentur homines, sed vel illud potius cogitarent, quanto facius esset pauxillo sanguine a tam multis gravibusque malis se redimere. Sed quæ illorum perversitas est, dum leve vulnus expavescunt, dum cum sanguine vitam viresque effluere putant, diuturnis potius morbis excruciarum malunt. Et quamvis hoc in casu non minus præstet inedia, quippe qua copia sanguinis optime exhauritur, plurimos tamen hanc curam æqueminus suscepturos crediderim. Reliqua quæ hic commendanda sunt, quoad dietam, superiora suppeditare poterunt.

XXVIII. Illis, quos polypus terret, æque necessarium est abstinere iis rebus, quæ sanguinem in motum concitare possunt

sunt, atque quæ polypi generationi præbent; alimenta. Ipsa vero curatio polypi, ubi jam invaluit, magis optanda quam speranda est, cum quisque de facili videre possit, quam arduum opus sit tam solidam compactamque substantiam medicamentis internis retexere. Si quid auxilii sperandum, si quid levamenti adferri potest, id omne intra sequentia continetur. Occurrendum primo est plethoræ, quæ plerumque ejusmodi corpora vexat. Si ab hoc præsidio discesseris, transire oportet ad diluentia, quæ unicam fere spem præbent tollendi mali, quippe quæ fluidum reddendo sanguinem polypi augmentum impediunt, & pinguedinem eluendo substantiam ejus quodammodo atterunt comminuuntque. Pertinent huc infusa calida liberaliter epota herbæ Thee veronicæ, maximeque omnium thermæ acidulæque. Sique hoc modo nondum evincitur malum, deveniendum est ad curam inediæ die Junger-Cury quæ quamvis hodie non magno admodum in usû sit, præcis tamen temporibus suos invenit laudatores. Est vero hic fere modus eam adhibendi: Abstinentum primum ab omnibus cibis, adsumto tantum per diem pauxillo panis biscocci, ut paululum reficiatur homo; deinde singulis diebus tres vel quatuor mensuræ de decocto lignorum adsumendæ, ea cautione adhibita, ut corpus in transpiratione perpetua modicoque sudore conservetur. De eo cti reliquiis; ad fundi potest aqua purior adjectis passulis majoribus corticibusque citri, eademque vel tepida vel egelida in potum dari potest. Hæc cura si diligenter observatur, si que ad 4. vel 6. hebdomades continuatur, tutissima est, & pertinacissimos morbos expugnat, uti Excell. Dn. Præses sua experientia id nobis confirmavit. Est & non leve auxilium in mercurialibus rite præparatis, quæ si prudenter usurpantur, laudem suam in hoc casu inveniunt, quippe resolvendo, qui coierunt, humores, præsens corpori præstant adlevamentum.

XXIX. Traditis itaque hisce, jam quoque exponendum videtur, qua ratione etiam ii, qui subito collapsus jam jam moriturus videtur, succurrere oporteat, ut præsentis mortis periculo eripiat. Ubi ergo aliquis concidit, si nihil aliud prohibeat, utique

tique sanguis mitti debet, idemque necessitate urgente, repetendum est. Ubi enim ex infarctu nimio vasorum homo prostrernitur, sanguine depleto, vasa vim contrahendi recipiunt, vigorque & motus partibus redit, & jam imminente mortis discrimini adfectus eximitur. At ubi idem sanguis extra vasa, quæ mole sua aperuit, delatus fuit, vel a polypo id accidit, nihil fere spei superest, & mors certissima adpropinquat. Hucque respexisse Hippocrates videtur, ubi scribit, apoplecticum, nisi venæsectione servetur, plane non restitui: quem secutus Cornel. Celsus eleganter ait, sanguinis detractionem hoc in casu vel occidere vel liberare. Post sanguinis missionem adficienda sunt, quæ resoluta vasa clementer adstringunt rescipiuntque. Quare tunc convenit spiritus nuchæ naribusque admovere, eisdemque ori ac naribus infundere. Atque ubi ex animi adfectu vel alia causa spasmodica profectum fuerit malum, addi potest medicamentum spasmos deliniens. Conducit quoque clysteribus alvum ducere, ut humorum cursus deorsum avertatur. Denique non negligendæ sunt frictions calidæ, quibus caput nucha extremæque partes diligenter exercere oportet, ut sanguine ex vasis ad summam cutem revocato, curatio feliciter nascatur

F I N E M.

NOBILISSIMO DOCTISSIMOQUE
DOMINO CANDIDATO,

S. P. O.
PRÆSES.

A Pollinem vatem & medicum, eundemque utriusque artis præsidem finxit antiquitas, ut hoc ipso, qua fuit solertia prudentiaque, significaret, medicinam quandam esse divinationem. Divinatio nempe merito adpellari debet illa prudentia & sagacitatis gloria, qua modicus unice florere debet, ut abstrusa naturæ morborumque deprehendat, ut cognita cujusvis naturæ habituque corporis prædicere

cere possit, quibus idem morbis, quibus periculis pateat, quibus denique auxiliis eorundem impetus insidiasque occupare possit, viridem perpetuamque sanitatem sibi præstiturus. Hoc nonne est divinatio, nonne certa & explorata futurorum prædictio, quam non Hetrusca disciplina, divinationis olim laudibus excellens, non fibræ vel jecinora animantium docent, sed sola industria naturali ingenii bonitate longoque rerum usu juncta pollicetur? Macte hoc ingenio, macte his laudibus & Tu, Clarissime Domine Candidare, qui in erudita Tua dissertatione, quam Tui ingenii elegantia effinxit, pulchre demonstrasti, quam necessaria sit medico ejusmodi divinatio, quamque amplum uberemque fructum præstet in malis, si quæ impendent, prævidendis. Scilicet huc omnes ingenii consiliique rationes excitasti, ut præter solidam naturæ rerum contemplationem, felicem etiam medendi rationem adipisceris. Quod cum non tralatitia industria, nec brevi tempore impetrari intelligeres, longius omnino spatium his studiis impendendum putasti, octo per annos in Academiis commoratus, rectumque illud sectatus iter, ad quod cum alii Te excitarunt, cum nosmet ipsi facem prætulimus, Neque tibi satis fuit, optimis artibus induisse animum, & medicæ scientia cujus publice præclara nobis experimenta dedisti implevisse peccus, adjecisti etiam praxeos studia, versatus in contubernio Clarissimi Practici, eaque complexus præcepta, quibus futuræ praxi mirifice præpareris. Gratulor proinde Tibi primum de confecto studiorum cursu, deinde de præmiis eruditioni Tux propositis, de quibus tanto diligentius congratulandum Tibi arbitror, quanto dignius iisdem condecoraris. Deum precor ut & porro faveat suis muneribus, quæ in Te congescit, eademque ita fortunet ac provehat, ut in sui gloriam hominumque salutem redundant. Vale.

Clariss.

CLARISSIMO DOMINO CANDIDATO,

S. P. D.

D. PANCRATIUS Wolff/ P. P.

ADmirantur, & quidem haud immerito consummatissimi Doctores nostri, adhuc hodie Hippocratis, vere magni; excellentiam in morborum historiis, ab ipso exactissime traditis, ut humano ingenio fere majorem. Magis autem adhuc miratu dignum est, nostris etiamnum temporibus, quibus tamen ars uostrā, in reliquis ejusdem partibus, insignia ostendit in crementa, in hac adhuc tam multa desiderari; quinimo univērsus orbis medicus; altissimis illius fontibus exhauriendis, se adhuc imparē agnoscit. Cujus rei rationem vix aliam majorem reperire licet, quam quod illorum temporum moribus, fecus ac nostris, medici ægrotis suis, a) *discipulum* aliquem *qui jam in arte progressum fecisset*, adjungere potuerint; qui *semper præsens adsiterit, & non amarulente medicorum præceptis usus, mandata fecerit*, ut hoc modo in absentia intervallis nihil ipsos latuerit, nec pro moribus nostris mulierculæ deludere potuerint. Quā ratione facile copia medicis data fuit, tam genuinas morborum historias accuratissime consignandi & condiscendi, quam discipulos etiam, per viva exempla plerō regularum practicarum usu instruendi, ne in propria deinde praxi per mortes prius experimenta facere, atque ex istis demum sapere debuerint, pro judicio medico, admodum difficili, sibi conciliando. Non enim puerorum tantum fata hæc sunt in addiscenda latinitate, ut regulas, quas tamen probe memoria tenent, oblati exemplis haud commode mox applicent, sed primum in iisdem delinquant. Quæ ratio Te, Clarissime Dne Candidate, movit, ut, studio tuo medico probe confecto, jamque felicibus progressibus factis, iter quoque bene praxeos medicæ condiscendæ per exempla mecum contendere, impiger & indefessus volueris. Cum igitur Hippocrates, *res medicinæ sacras sacris hominibus, sed minime profanis, nondum scientiæ orgiis iniatis, demonstrari, velit, ardorem illum tuum lubentissime magis accendi, sicut etiam eundem quotidie magis*


(a) *sicut Hippocrates de exselemyosyne XII. Vol. 1. p. 59. docet.*(b) *Leg. III. 18. Vol 1. p. 42.*

gis magisque auctum, mihi probasti. Maeste itaque, ut coepisti, perge, porroque per propriam praxin, faxit Deus felicissimam, aegrotorum Tuorum historias, tam felices, quam infelices, ut memoriae consulas, configna, hinc easdem cum aliis Tuis ejusdem morbi confer, praeterea singulis phaenomenis earundem casus similes, cautelas practicas & observationes anatomicas aliorum pragmaticorum scriptorum junge ac compara, ut eventuum disparium causas invenire majoribusque semper cautelis judicium tuum medicum acere valeas praclare. Quibus pietatem adde sinceram, & euschimofynen medicam Numenque Ter Optimum maximum devoto corde implorare haud cessa; & Idem Te felicissima & celeberrima praxi beabit, singulisque reliqua prosperitatis votis quam clementissime cumulabit. Sicut de novis his Tuis honoribus merito Tibi gratulans, candido animo apprecor ominorque. Vale. Dabam e museo die 14. Decembris Anno MDCCVII.

Consilium scribis miseris telluris alumnis,
Quo discant, subito ne rumpant stamina Parca,
Sed servare moras CAUTEQUE abscindere norint,
Maeste igitur virtute Tua, dum prospera tradis
Atque simul servas animas cum corpore multas.
Nos Tibi votorum fumantes ponimus aras,
Corporis ut proprii maneat quoque providus hospes,
PRÆCAVEASQUE simul, ne mens cum corpore fracta
Pulvere mergatur nigro, & valleretur arena;
Sic satis es CAUTE mercatus tempore vitae.

Ex adfectu gratabundo Nobilissimo & Devotissimo Dissertationis DN. AUCTORI Summos in Arte Medica honores capeffenti Civi & Commensali olim suo haec acclamabunt

COMMENSALES HALBERSTADIENSES.



Uf 1378

ULB Halle

3

001 958 240




sb

V077







B.I.G.

Farbkarte #13

34 82

DISPUTATIO INAUGURALIS MEDICA
DE
**MORTE SUBITA
PRÆCAVENDA,**

QUAM
RECTORE MAGNIFICENTISSIMO
SERENISSIMO PRINCIPE AC DOMINO,

DN. PHILIPPO WILHELMO
PRINCIPE, BORUSSIAE, MARCHIONE BRANDENB. CETERA,

PRAESIDE
DN. FRIDERICO HOFFMANNO
CONSILIARIO ET ARCHIATRO REGIO
MEDICINAE ET PHIL. NAT. P.P.O. h. t.
DECANO,

*Patrono ac Præceptore suo æternum
deuenerando,*

PRO SUMMIS IN ARTE SALUTARI HONORIBUS PRIVILEGIISQUE
DOCTORALIBUS CONSEQUENDIS

D. DECEMBR. M DCC VII.
horis ante & pomeridianis

IN AUDITORIO MAIORI
Publico eruditorum iudicio examinique exponit
AUCTOR

GEORGIUS HENRICUS *Normann*
HALBERSTAD.

HALAE MAGDEBURGICAE,
Typis JOANN. GRVNERI, Acad, Typogr.